

178



814

DE
RHEVMATISMI CAVSSIS ET CVRA,

DISSERTATIO INAVGVRALIS,

QVAM

PRAESIDE

D. SALOMONE CONSTANTINO
TITIO,

BOTAN. ET ANATOM. PROFESS. PVBL. ORD.

PRO

SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

A. D. 18. MAII 1797.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

LVDOVICVS IOSEPHVS SCHMIDL,
DRESDENSIS,
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTENBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.



DISSEPTATIO ANATOMICA
D. SALOMONE CONSTANTINO
TITLO
SYNOPSIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
RITE CAPESSE
A. M. 18. M. A. 1797.
M. D. C.
LUDOVICI JOSEPHUS SCHMIDT
WITTEBERGAE
LITTEAE TYSCHEIDRICHII

1928 K 944



§. 1.

Omnēs, qui corpus humanum afficiunt, morbi, vel cum summo, ipsius vitae, periculo, dum viscerum nobilium ac minus nobilium actiones destruunt, vt suffocationes, apoplexiae, inflammationes viscerum, coniuncti sunt; vel, motum voluntarium extremitatum corporis intercipiendo, molestias, tantummodo eidem inducunt, easque vt plurimum maiores, quo acerbiores comites habent dolores. Posteriorum e numero certe sunt morbi, quos vocant articulares, qui haud raro infelici metamorphasi, ad partes interiores transeunt, Arthritis nimirum ac Rheumatismus. Huius vero naturam, atque in primis causas et tractandi modum in Dissertatione inaugurali, quatenus angusti libelli limites permittunt, describere animum induxi.

§. 2.

Est autem Rheumatismus dolor musculorum pungens, dilacerans, fibras tendens; gradu plus minusue vehemens; in partibus corporis externis atque in extremitatibus praecipue sedem figens; saepe cum immobilitate partis, quam occupavit, coniunctus; mox diutius in vno loco commoratur, mox subito in alium transit, mox in toto corpore vagatur; sub vespere, nocteque plerumque increfcit; stragulorum calore exacerbatur; tactu summe impatiens, partis, in qua sedet, tumorem refert, rubore caloreque coniunctum. Quae descriptio, paulo longior, ex symptomatibus, quae morbum discernunt, repetita, malum satis perspicuum reddet. Hinc vix opus, vt alias rheumatismi finitiones, ab aliis auctoribus datas, atque alibi ¹⁾ nuper collectas, hic exponamus.

A 2

§. 3.

1) Pathologia Rheumatismi, Diss. inaug. CAR. SIEGFR. KAERLERI, Erlangae 1795. 8.

Visitatum hoc tempore morbi nostri nomen veteres medici ignorarunt, utrum vero morbum ipsum cognitum habuerint, adhuc in dubio relinquitur. Propter rheumatismi cum Arthritide similitudinem, a qua tamen probe est distinguendus, cum illa pro vno certe habitus est morbo. Sic HIPPOCRATES, AETIVS, ARETAEVS, GALENVS, GORRAEVS alique viri haud obscuri nominis, fecerunt. 2)

BALLONIVS 3) inter recentiores, quantum scimus, primus fuit, qui nomen Rheumatismi in Nosologiam introduxit, ipsumque, ut morbum peculiarem, accuratius descripsit. Non desunt quidem scriptores, qui arthritidem a rheumatismo ratione loci 4) discernant, utrumque vero, ratione materiae conuenire, cum iisdem curari possit remediis, statuunt. Rectius contra alii multum omnino discriminis intercedere inter rheumatismum atque arthritidem, asserunt, quibus adscribendi sunt HÖFFMANNVS, MACBRIDE, CVLLEN, VOGEL, in compendiis suis medicinae practicae, TODE, 5) WITHERS, 6) LENTIN, 7) ROWLEY, 8) ASCHER, 9) RADEMACHER. 10) Quorum auctorum,

- 2) vid. CLERCK, Diff. de Rheumatismo, Edinburgi 1746, quae continetur in SMELLII Thesauro medico, Edinb. 1778. T. 1. p. 360-362
- 3) vid. DE BALLON libellus de Rheumatismo et Pleuritide dorsali, ed. M. I. THEVART, Paris 1643. 4. p. 175. Labyrinth. med. extricat. siue Meth. vitandor. error. qui in praxi occurrunt, monstrantibus GVIL. BALLONIO et LYD. SEPTALIO, Genev. 1687. p. 536.
- 4) RIVERII Opera medica omnia, Genev. 1773. Fol. Lib. XVI. p. 409. — MURRAY Progr. de materia arthritica ad verenda aberrante, Götting. 1785. 4. Sect. I. p. 4.
- 5) *Medic. chirurg. Bibliothek*, 2. B. 3. St. S. 146.
- 6) Observations on the abuse of Medicine, London 1775.
- 7) Memorabilia circa aërem vitae genus, sanitatem, et morbos Claus-thaliensium, Goettingae 1779. *Journal der pract. Heilkunde, von HUFELAND*, Ina 1795. 1. B. 2. St.
- 8) WILL. ROWLEY, the gout and Rheumatism. cured or alleviat, ed. London 1788.
- 9) Diff. tentamen, qua ratione rheumatismus ab Arthritide differat, Göttingae 1791.

10) Diff.

rum, qui de differentia arthritidis ac rheumatismi scripserunt, numerus facillime, si per angustiores libelli limites liceat, augeri possit. Hinc ad causas morbi nostri eruendas transeamus.


§. 4.

Omnes fere medici veteres causam proximam esse acrimoniam sanguinis alcalinam vel acidam crediderunt. IO. VAN SWIETEN,¹¹⁾ BOERHAAVIUM, secutus causam proximam rheumatismi inflammationem appellat in arteriis lymphaticis membranarum, quae ad ligamenta iuncturarum, non tam saeva sit, ut in suppurationem eat. ISENFLAM,¹²⁾ ait, „dolor rheumaticus oritur ab acrimonia subtili ex nostris humoribus nata, quae in vaginas nervorum penetrat, et hic eam producit mutationem, quae se prodit effectu in substantia medullari nervorum.“ VOGEL ac G. MUSGRAVE,¹³⁾ stagnationem et acrimoniam lymphae causam esse, contendunt. LUDWIG¹⁴⁾ atoniam vasorum lymphaticorum et nimiam spissitudinem et acrimoniam lymphae accusat, et GARDINER¹⁵⁾ acrimoniam specificam. Ex his igitur patet, plurimos auctores causam proximam morbi nostri in vasis lymphaticis quaerere. Neque minus SAGAR pro causa proxima rheumatismi agnoscit stagnationem humorum lentescentium et acrimiam in vasis lymphaticis, qui partim nervos premendo, partim ope acrimoniae suae nervos irritando, dolorem producant. Cuius sententia MUSGRAVI et VOGELII testimoniis nititur. In vasis lymphaticis causam quoque quaerit mali proximam KAEHLERS,¹⁶⁾ qui

A 3

STOL-

- 10) Diss. sistens quaest. vtrum differat Rheumatismus ab Arthritide, Iena 1794.
 11) Comment. in HERM. BOERHAAVE aphor. de cognosc. et cur. morb. T. V. §. 1493.
 12) Diss. Arthritidis et Rheumatismi diagnosi, Erlangae 1787.
 13) Gv. MUSGRAVE Diss. de Arthritide primigenia regulari diss. Oxon. 1726. 8.
 14) Instit. med. clinicae, Lips. 1758. p. 263. §. 575.
 15) GARDINERS *Untersuchungen des Podagra*, Leipzig 1792. 8. §. 195q.
 16) KAEHLER, Diss. iam cit. pag. 20.



STOLLII,¹⁷⁾ et SYDENHAMI,¹⁸⁾ auctoritatibus suam munire studuit opinionem. „Sufficit, ait, in eo saltem plerosque recentiores conuenire, caussam proximam, seu rectius naturam rheumatismi, in eo consistere, quod sit inflammatio arteriarum lymphaticarum.“ Vasa vero lymphatica inflammationi re vera obnoxia esse, docet ASSALINVS¹⁹⁾ filius, sequentibus verbis: „Endlich können sich die lymphatischen Gefäße auch noch entzünden. Ein junger Mensch wurde von einer Wespe leicht in die Wurzel der Hand gestochen. Nach einiger Zeit bekam er viel Schmerz, Geschwulst, und Röthe, an dem verletzten Theile. Den folgenden Tag stieg die Röthe längst des Armes hinauf und kam bald zur Achseldrüse. Diese Entzündung war einem rothen Bande ähnlich und höchstens ohngefähr 3 Linien breit. Ich habe in dem St. Thomas-Hospitale zu London einen Mann gesehen, der an dem innern Theil der Haut des Schenkels rothe Streifen hatte, die sich von dem Knie bis zu den Leisten erstreckten, wo die Drüsen sehr schmerzhaft, obgleich wenig geschwollen waren. Der Schenkel schien mit einer vorhlaufartigen Entzündung, die Streifen bildete, befallen zu seyn.“ Neque structura horum vasorum, quatenus per anatomicas obseruationes nobis hucusque cognita est, huic repugnat sententiae. HALLERVS²⁰⁾ enim suo iam tempore: „Addemus, dicit, vasorum lymphaticorum naturam valde esse contractilem, et vasorum rubrorum irritabilem vim multis modis superare. Neque enim solus ductus thoracicus, qui vere de genere vasorum lymphaticorum est, et perinde vasa lymphatica hepatis, ad olei vitrioli tactum contrahuntur et celerrime exinaniantur; sed imprimis in animali, cui plena fuerunt, aut chylo aut lymphä, aut coeruleo liquore, quem animalia absorbere coëgi, sub ipsis intentis meis oculis, toties vidi haec, siue lymphatica vascula, siue lactea euanescere; non potuerunt autem visui se subduxisse, nisi expulso, qui replebat, et conspicua reddebat,

17) STOLL, Rat. medend. P. V. Sect. III. pag. 411.

18) SYDENHAM, in Obseruationibus medicis, siue Opusc. Genев. 1736. Vol. I. Sect. VI. c. 5. p. 170 sq.

19) ASSALINI, in d. Samml. auserles. Abhandl. für pract. Aerzte, XV. B. 1. St.

20) Elementa physiologiae, Laufannae 1757. T. I. p. 165.

— — — — —

7

bat, liquore lymphæ, lacte, indigo in aqua diffoluto.“ Vasa vero lymphatica tunicis musculosis et irritabilibus ornata, atque præterea aliis vasculis sanguiferis, et lymphaticis, a quibus ipsa nutriuntur, instructa nervos quoque eorum tunicis intertextos esse, recentiorum examina, nimirum CRVKSCHANKII,²¹⁾ atque ASSALINI filii²²⁾ probant. *Ja, sogar die lymphatischen und Milchgefäße haben ihre vasa vasorum. Ich habe in vierfüßigen Thieren die Schlagadern in den Häuten der lymphatischen Gefäße ausgespritzt, und gesehen, wie sie sich so schön und prächtig durch ihre Substanz zerästeten. Diese Schlagadern müssen wohl auch ihre gegen über stehenden zurückführenden Blutadern haben, und ich muß glauben, daß sie auch mit lymphatischen Gefäßen versehen sind. Die rothen Linien, die man unter der Haut siehet, wenn Gifte von der Oberfläche des Körpers in das Blut drängen, geben uns noch einen Beweis von den zahlreichen Gefäßen ihrer Häute an die Hand. Der Lauf dieser Linien, und die darauf folgende Entzündung der Drüse zeigt, daß dieses entzündete lymphatische Gefäße sind.* Plures ergo causas proximam rheumatismi in inflammatione vasorum lymphaticorum quarunt. Vix vero, antequam causas prædisponentes atque occasionales, quibus proxima constatur, excusserimus, de causa proxima certi quid statuere licet.

§. 5.

Causæ prædisponentes, quæ corpus ad hunc morbum sensim præparant, sunt teneritas, et quæ inde pendet nimia irritabilitas et sensibilitas systematis vasorum cutaneorum. Quo magis enim assiduo calore, ac externo balneo, peripheria corporis fouetur, quo crassiora semper imponuntur vestimenta, et quo minus assuescit externo aëri frigidiori et vasa leniter constringenti; eo facilius cutis corripitur rheumatismo. Hinc illos a rheumatismis præcipue vexari, qui salutari corporis refrigerio non adfuerunt, experientia comprobatur. Alia
vero

21) WILL. CRVKSCHANKS *Geschichte u. Befehr. der einsaug. Gefäße, a. dem Engl. Leipz. 1789. Th. 1. Kap. 12. S. 57f.*

22) ASSALINI lib. cit.



vero causa ad rheumatismum disponens est debilitas corporis a quacunque demum causa inducta. Hinc morbus noster haud raro a debilitate post morbos graues relicta, ab euacuatione temeraria humorum laudabilium atque illaudabilium, quibus corpori, non sine detrimento, aliquid semper detrahitur. Nil vero magis corpus debilitat, quam grauiditas repetita, quae, praeter debilitatem, dispositionem quoque ad laxitatem relinquit. In vniuersum porro maximum sanitatis praesidium in regione coeli suae climate, quod incolimus, cernitur. Humiles regiones, paludosae, montibus oclusae, quas perpetuae fere tegunt nebulae, causam efficacem rheumatismo praebent. Aliam aequae sufficientem causam excitant venti, quorum vel subitanea vicissitudo corpus grauius tangit, vel perpetuus flatus sensum ad morbum praeparat. Prae ceteris hoc efficit Boreas. Quid vero studia seuera, nimis strenue et diu continuata, valeant saepe videmus. Haec enim non solum systematis neruorum actionem turbant, sed vasorum etiam functionem laedunt, et, si nimis longe protrahuntur, digestionis ac perspirationis organa valde debilitant. Ad luxuriam omnia merito referimus, quibus natura carere potest, et quae nil nisi vitae molitiam inferunt. Hinc potus spirituosus et calidi, cibi aromatibus conditi huc omnino pertinent. Neque innoxius habendus est concubitus frequenter repetitus, qui habita aetatis et corporis ratione nimium profertur, cum hoc ipso in secunda valetudine aduersae praesidia consumuntur in humidis regionibus. Diuturna commoratio, et in iis etiam locis, quae, licet humidiores, artis auxilio, quodammodo emendari, atque valetudini minus noxia reddi possunt. Opificia quaedam, v. c. sartorum, metallurgorum, eorum, qui mercurium ac saturnum manibus tractant, horumque metallorum vapores insugunt. In vniuersum ergo omnia, quae vasa resorbentia et systema cutaneum relaxant, neruorum sensibilitatem augent, humoribus aliam, quam a natura acceperunt, indolem inferunt, vt causae rheumatismi merito accusandae sunt.

Causis praedisponentibus ex ordine addimus causas occasionales, inter quas refrigerium partis morbosae primum locum tenere, omni-

omniumque euentissimam causam esse, communis fere medicorum sententia est; licet in modo, quo agat, constituendo, valde inter se dissentiant. Sunt enim non pauci, qui aërem frigidum, corpori admixtum, transpirationem supprimere, materiam vero retentam, ad partes internas migrare, ibique pro partis occupatae conditione, effectus varios perniciosos producere, statuunt. Alii refrigerii actionem hac ratione explicant: aërem atmosphaericum in corpora nostra tanquam stimulum agere, aiunt, qui, pro varia coeli temperie, varios producat effectus. Frigus enim corpora omnia, et solida et fluida, contrahit, eorum volumen immittit, solida in corporis superficie maiori modo irritat, actionesque eorum accelerat. Haec vero frigidae atmosphaerae actio eo insignior erit, quo citius vicissitudines calidi et frigidi aëris contingunt. Si ergo corpus motibus vehementioribus fuerit excitatum, atque incaluerit; solidae partes teneriores redduntur, et subsequente atmosphaera frigidiore, illico inde exsurgunt praeternaturales actiones. Deinde attendendus cutis cum organis plurimis internis, ope neruorum, consensus. Neruorum enim cutaneorum systema, a sympathico magno, dorsalibus, pare vago, quinto et faciali deriuandum, tam arctis cum organorum ceterorum neruis, vinculis nequitur, vt quoties solida in peripheria corporis afficiuntur, toties etiam organa interna in consensum trahi, necesse sit. Sed atmosphaera etiam rheumatismum per materias quasdam stimulantibus, quas inuoluit, vt oxygenii abundante copia, excitare potest. Sic aër paludosus in Hollandia, in Anglia vsus carbonum, rheumatismos gignunt. Electricae quoque materiei abundantia, vel defectus huc trahendus est, vt quidam ex negativa electricitate effectus rheumaticos oriri voluerunt. Praeter atmosphaerae efficaciam causa occasionalis non raro etiam in affectibus animi vehementer perturbantibus, quaerenda; porro in vitiis systematis gastrici, vt in valis absorbentibus intestinorum oblitteratis, rigidis, duris, in cacochymia humorum. Hinc tam frequens rheumatismi cum morbo gastrico complicatio. Vermium reptatio gignit dolores rheumatismo similes. His addantur, colluuiis pituitosa, biliosa, vt hac ex causa, vsus chinae praematurus in febris gastricis, dolores rheumaticos gignit; porro exanthemata retropressa,

butus, lues venerea. Ulcera vetusta exsiccata, lochiorum vel aliarum haemorrhagarum, suppressiones.

Quae omnes causae ad dolores rheumaticos producendos, vario modo, vel idiopathice, vel per consensum, vel per metaschematismum, faciunt. Idiopathice agit refrigerium, ex abundantia particularum in atmosphaera, quae rheumatismum produciunt. Symptomatice vel per consensum, colluies variae, exanthemata retropulsa, agunt. In cancro uteri, in scorbuto, in lue venerea, in grauiditate, dolores rheumatici saepius vt symptomata occurrunt. Per metaschematismum denique catarrhi, dysenteriae, mutata prima indole, naturam rheumatismi subeunt.

Cum ergo causa praedisponens, vel diathesis, reddat systema nervorum iusto mollius, indeque irritabilius atque ad vehementiores agitationes proclivius, maiorem musculorum irritabilitatem oriri, necesse est. Hac de causa aequilibrium inter solidas ac fluidas partes tollitur; humores et prae caeteris lymphae spissior fit, stagnat, nervisque novum irritamentum affert. Humores igitur inspissati, imprimis vero lymphae spissa, causam proximam rheumatismi sat efficacem praebent.


§. 6.

Ab hac causarum diversitate differentia quoque, quam vulgo de rheumatismo admittimus, repetenda est. Est enim inter rheumatismum magnum discrimen, quod eiusdem naturae atque symptomata quibuscumque stipatus est, probant. Notissima est divisio in acutum, et chronicum. Rheumatismus chronicus, sive rheumatologia, dicitur ille, qui per evacuationes criticas non plane soluitur, licet omnibus evacuationibus minime careat; minus, quam acutus, aegrotos vexat, sed diutius durat; sedem quoque suam facile mutat. Rheumatologia est ergo morbus chronicus, multum a rheumatismo acuto diversus, quem quidem frequenter sequitur, non raro tamen ab aliis causis produci- tur, aliisque morbis ortum suum debet. Symptoma praecipuum huius morbi est dolor fortissimus, qui calore imminuitur, ceterum dolo-

dolori in rheumatismo acuto valde similis est. Febre non semper caret, quae tamen saepius febris lentae naturam refert. Diutius, per menses, quin per annos, durat. Quo longius homines excruciat, eo maiora mala procreat, ut anchylosin partis affectae, tabescentiam, febrem lentam, hecticam, humorum dyscrasiam etc. Saepe aliquam similitudinem cum arthritide alit. Differentiam ergo huius rheumatismi ab acuto, in dolore ponunt, qui calore imminuitur, cum contra rheumatismo acuto dolor a fotu stragularum augeatur. In hoc igitur rheumatismo chronico, maior adest rigiditas vasorum sensum inducta, maior quoque lymphae spissitudo, quae vitia ope caloris emendantur. Acutus vero rheumatismus illico hominem occupat, et cum symptomatibus febrilibus grauibus, nimirum horrore et frigore, incipit, quae ab irritabilitate maiori, nondum crebriore morbi recurfu, ut fit in chronico, obtusa, pendunt. Dolor partis obsessae vehemens omnem eius motum fere impedit, calor dolorem valde auget. Hinc ad maiorem materiae mobilitatem, ad lympham non adeo, ut in chronico, inspissatam, concludimus. Calore enim maior eiusdem copia necessario affluit. Hanc opinionem quoque probat mobilitas materiae, siquidem rheumatismus acutus modo hic, modo alibi, deprehenditur. Partem affectam saepius quoque videmus rubore obductam, qui in rheumatismo chronico rarius observatur. Cum sit natura sua morbus acutus, signa quoque morbi acuti characteristica, per eius decursum inuenimus, ad certa temporis spatia restricta; spatium tamen aliquot septimanarum non facile transgreditur. Haec vero utriusque morbi differentia per diligentiorum symptomatum descriptionem patebit.

§. 7.

Rheumatismus chronicus incipit cum doloribus lacerantibus, pungentibus, prementibus, muscutorumque quadam contractione ac rigiditate. Primo dolores leues sunt, fixi, plerumque in externis partibus, ubi imprimis graciliores et debiliores, pro causae diuersitate diuersas, occupat. Si atmosphaera in causa est, initio vasa lymphatica, proxime sub cute posita, atque causae agenti magis obnoxia, laborant.



Vehementia doloris dependet a sensilitate maiori hominis, a parte affecta, a magnitudine stimuli morbosi, a consistencia lymphae. Dolores, si per plures hebdomadas aegrum cruciarunt, nunc leuiores, nunc grauiores, tandem aut vrina, aut sudore paulatim mitigantur, et dissolvuntur, donec aegrotus ad salutem reuertitur. Si vero dolores fuerint graues, et per longum tempus durauerint, immobilitas partis facpius remanet, vel anchylosis. Aretaeus notat: „Mulieres, licet rarius quam viri, hoc vitio laborarent, vehementiores tamen dolores perpeti.“ Si autem rheumatismus acutus est, vel cum febre complicatus, tunc, quod iam monuimus, accurate stadia febrilia percurrit, et quidem illa febris continua. Complicatio vero potest fieri cum febre simplici catarrhali, inflammatoria, gastrica, et putrida.

§. 8.

Rheumatismus simplex ergo benignus est, facillime quoque oritur. Hunc rheumatismum cum febre simplici, seu catarrhali coniunctum, SYDENHAMVS 23) iam descripsit: „A rigore atque horrore orditur tragoediam, quos statim excipiunt calor, inquietudo, sitis et reliqua illa infelix symptomatum caterua, quibus stipantur febres. Elapso die vno alteroue, aeger atroci dolore, nunc in hoc, nunc in illo artu infestatur, in carpis, humeris, genubus praefertim, qui locum subinde mutans, vicissim illos occupat, rubore quodam et tumore in parte, quam postremum affecit, adhuc residuis. Primis aliquot diebus, febris et symptomata iam memorata quandoque coincidunt, febris autem sensim euanescit, manente dolore, quin et nonnunquam immansius faeuente, materia scilicet febrili in artus translata; quod satis arguit febris ipsa saepius recrudescens ob materiam morbificam, ab intempestiuo externorum vsu repercussam.“ Quo validior febris, cum qua morbus incipit, eo plerumque acrior dolor, et molestior totius morbi decursus. Hunc rheumatismum symptomata generalia catarrhi comitantur, nimirum tussis, coryza, et horripilationes, sudor fri-

23) SYDENHAMVS loc. cit. p. 170.

gidus sine leuamine effluit. STOERCK obseruauit in magna dolorum exacerbatione, urinam plerumque tenuem, pallidam, quandoque stranguriosam. Febris etiam uehementior est, dolores in toto corpore propellit, et plurimas, profundiores etiam partes, quin internas, cruciat; alius tarda est. Et sic dolores ad maximum gradum progredi possunt, ut immobilitas fere totius corporis adueniat, et sensibilitas maxime aucta, ita ut aër iam aegro intolerabilis sit, et motus minimus uehementissime eum afficiat. Sudores frigidi, uiscidi, totius corporis, aut calidi, sine leuamine; excepta affecta parte; hic sudor, ut ipsa pars, frigidus est, aut plane deest. Rheumatismus catarrhalis, pro loci, quem tenet, diuersitate, varios facit morbos, e quorum numero angina, quae ab aliis anginis colluuiè serosa differt, et partium correptarum laxitatè cognoscitur. Maximum impedimentum deglutitionis, et ipsius uocis, positum est potius in infarctu pituitoso uasorum aërisferorum, quam in mucii naturalis defectu. Alius morbus est tussis rheumatica, cuius causa paullo profundius haeret in ipsis pulmonibus, quam in larynge. Haec apparet nonnunquam sub forma tussis spasticae, qua tamen longior est et grauior. Ex antegressis symptomatibus haec tussis est cognoscenda, si nimirum rheumatismus sedem habuerit in locis externis. Haec tussis cum inflammatione pulmonum serosa, siue cum pleuritide spuria, coniuncta est.

Curatio rheumatismi catarrhalis sequentibus absoluitur indicationibus. Partes nimis stimularae inuoluendae sunt, cum ipsa materia stimulante, irritabilitas imminuenda, excretio impedita adiuuanda, tandem robor partibus restituendum est. Soluitur materia rheumatica stagnans calore artificiali, topico magis, quam uisuerali, quo febris magis augetur. Maximo igitur cum fructu applicantur partibus affectis uestimenta calidiora, e pannis laneis confecta, etiam notissimum illud remedium, linteum uiridi cera obductum. Quantum praesent frictions in materia stagnante mouenda, notum est. Quodsi uero hae solae minus suffecerint, eligantur merito unguenta discutientia, atque his frustra adhibitis, in usum uocari potest tinctura Cantharidum. Etiam multum auxilii exhibent sic dicta epispastica, quorum effica-



efficacissima sunt vesicatoria; neque negligendae fomentationes calidae. A palato et faucibus remouenda esse, tanquam noxia, epithemata pul-
tacea calida, quia glandulis inducunt nimiam laxitatem, et sedem
materiae rheumaticae fixiorem parant, egregie monuit STOLLIVS.²⁴⁾
Inter externa remedia laudem quoque reportant balnea vniuersalia te-
pida et semicupia.

Internorum medicamentorum selectus ex febris indole et acer-
bitate diiudicandus est. Ergo vel febre vehementius vrgente, refri-
gerantia, resolutentia, quae lenius et tardius agunt, eligenda, vel fe-
bre magis ad characterem pituitoso-catarrahalem inclinante, calefa-
cientia, diaphoretica, laudanda sunt. Itaque infusa herbarum resoluen-
tium, vsus tartari emetici, minori in dosi adhibiti, aliorum antimoni-
alium, tincturarum alcalinarum, etiam camphorae, a febre mitiore
et mucosae haerente, indicantur. Praesente vero febre acutiore, potius
temperantia sunt propinanda. Caue tamen, ne eligas, quibus fauces
et pectus magis irritantur. Ad primas vias quoque esse respiciendum,
non eget monitis. Quid praestare possit vsus ligni Guaiaci, vix dici
potest, cum alia guminata saponacea, maiore interdum virtute, in-
structa videantur. Becchica leniora, antispasmodica, et alia medica-
menta contra stimulum, commendanda sunt. Quomodo robur, et
quandiu partibus addendum sit, ex morbi duratione, ac reliqua aegroti
constitutione diiudicandum erit.

§. 9.

Rheumatismus inflammatorius non omni quidem vacat periculo, non
tanto tamen, quanto videtur, obnoxius est, nisi grauiora commissa
fuerint vitia in sanando, vel natura ipsa non satis fortis ad morbum
superandum fuerit. Male tractatus igitur, si vel crises neglectae, vel
fotu nimio maior partibus effectis laxitas conciliata fuerit, facile transit
in rheumatismum chronicum. Haud raro quoque post rheumatis-
mum inflammatorium pleuritis atque occulta peripneumonia,²⁵⁾ vel
hydrops


²⁴⁾ STOLL, de morbis chronicis, P. II. p. 35.

²⁵⁾ STOLL, Rat. medend. T. I. pag. 114 sq.

hydrops factus in membranis rheumatice inflammatis, et debilitatis, remanent. Febris cum qua coniunctus est, pura inflammatoria, intra septem, vel quatuordecim dies finitur. Maiorem fibrarum muscularium irritabilitatem et sensibilitatem systematis nervosi supponit. Huius quoque rheumatismi accurata diiudicatio ex febris vehementia et causis ducenda est. Methodo antiphlogistica, atque imprimis venae-sectioni, hic locum esse concedendum, per se patet. Hunc igitur in finem adhibendae sunt venae-sectiones topicae, quae in partem adfectam agunt, et nisi expectatum auxilium praestiterint, tunc omnino uniuersales sanguinis euacuationes requiruntur. Potus porro, acidis succis vegetabilium iunctus, et refrigerat et grato sapore placet. Nitro forte praefendus sal ammoniacus, qui, nisi febris eiusdem usum impediatur, magis in cutim agit. A purgantibus vero, nisi deprehenderit gastricas lordes, abstinendum est, saltem caute in iis adhibendis est versandum. Etiam hanc rheumatismi speciem vesicatoriorum usum non excludere, experientia quotidiana videmus probatum. Febre antea mitigata, sensim ad medicamenta, propius in morbi causam agentia, transeundum est, quibus quoque cautus opii usus continetur.

§. 10.

Transimus nunc ad rheumatismum biliosum, qui partim ad acutum, partim ad chronicum pertinet, quatenus nimirum bilis vel magis in ventriculo stimulat, vel in sanguine haeret. Quaeenam signa praesentiam bilis in primis viis indicent, non est, quod commemoremus, cum in faucibus eius signa praecipue appareant. Bilem in primis viis aegrotus optime ipse sentit. Attamen non semper adeo aperte bilis in primis viis praesentia cognoscitur, latet saepe profundius, ut caute respicere debeas ad constitutionem epidemicam, ad anni tempus, ad morbos praegressos. Praeterea quoque febris remissio et exacerbatio consideranda est. Quoties in febris intermittens paroxysmo, articulorum, imprimis in extremitatibus inferioribus, dolor aegrotum adeo vexat, ut perfecta arthritis adesse videatur, qui bile e primis viis euacuata, cedit? Huius rheumatismi causam non temere in organo digestionis debilitatis, atque irregulari motu peristaltico saepius



pius turbatis, quaesiveris. Insuper quoque diaetae vitia, et animi affectiones ingratas huic morbo ansam praebere posse, experti sumus. Spontaneae excretionis siue aluinae, siue gutturales, huic morbo permultum leuaminis afferunt, viscera tamen sunt a labe grauiore immunia. Euacuata enim bile, facilius restituitur transpiratio, quae vel sola, vel medicamentis antirheumaticis adiuta, rheumatismum discutit. Si qua forsitan iam in secundas vias transgressa fuerit bilis, haec quoque medicamentis antibiliosis, acidi et subdulcis indolis, infringenda est. Vtrum vero bilem lente vel subito euacuare conueniat, ipsa eius natura, et sedes, vel mobilior, vel firmior, indicabit. Quodsi post febris fugam, dolores rheumatici nondum profusus suppressi fuerint, ad normam rheumatismi chronici curatio est instituenda.

§. II.

Alia rheumatismi complicatio a sordibus putridis primarum viarum, vel solis, vel per bilem corruptis, deriuanda est. Haec rheumatismi species per signa, febris putridae propria, pulsu nimirum debili, virium prostratione insueta, excretionibus facile in putredinem pronis, dignoscitur. Descriptionem huius rheumatismi putridi nobis dedit AASKOW²⁶⁾ Danus. Quae dispositio putrida morbi vel statim ab initio in corpore latuit, vel postea ex febris mutatione fuit orta, inprimis ex abundantia pituitae primarum viarum, cui praecipue viscerum laxitas et diaeta incongrua fauet. Causae huic speciei partium cum rheumatismo catarrhali communes sunt, partium propriae, accedit nimirum contagium specificum, et alia diaetae vitia, quae humoribus acrimoniam inducunt. In hoc etiam rheumatismo prius ad febrem, quam ad rheumatismum respiciendum est, cum hic ex illa maximam partem pendeat. Summum, vt in aliis rheumatismi cum primarum viarum colluue complicationibus, in hoc quoque ex metastasi materiae rheumaticae ad partes internas, oritur periculum. Hic vero primum cum rheumatismo ipso, deinde cum parte, in qua sedem posuit, vi
vitali

26) Diarii medici naualis Annus I. Hafniae 1774. 8. p. 51.

vitali vegeta profus deslituta, pugnandum est. Cum tamen, non nisi antegressa primarum viarum euacuatione, de rheumatismo ad exteriora retroducendo, cogitari possit, ad illam ante omnia respiciendum est, simulque robur vniuersale restituendum. Hac igitur ratione, euacuantia vel sola, quod rarius, vel simul antiputrida iuncta roborantibus medicamentis, propinari debent. Quid acida mineralia, cortex peruuanus et camphora efficere possint, obseruationes docuerunt. Venaelectionem et mercurii usum hic aperte nocere, non est, quod pluribus commemoremus. Acrimoniam primarum viarum acidam similem rheumatismum creare posse, ipsarum harum fordidum, digestionem per affectiones ingratas turbantium, praesentia testatur. Hic vero febris impugnanda est. Causa irritante e tractu intestinorum remota, curatio antirheumatica instituitur. Acido nunc profus destructo, primis viis robur restituendum est, quippe quae laxitate ac debilitate, partim a diaeta, partim a methodo medendi antacida, inducta, laborant.

§. 12.

Quem autores commemorant rheumatismum pituitosum, cum verminoso ²⁷⁾ optime coniungitur; cum notum sit, pituitam primarum viarum vermibus maxime fauere. Hoc rheumatismo inprimis infantes laborant, qui tam vehementibus ac vniuersalibus cruciantur doloribus, vt post leuem corporis tactum clamorem edant vehementissimum. Memini, me videsse puellam octo annorum, cuius extremitates inferiores a rheumatismo graui ita erant correptae, vt easdem nullo pacto

27) SAUVAGES, Nosol. meth. T. III. p. I. et vii. Gen. 3. Spec. 8.



pacto mouere possit. Postquam medicus, de vermium praesentia haud temere argumentatus, medicamentum exhibuerat anthelminticum, cum vermium euacuatione quoque rheumatismus dissipatur. Methodum, qua vermes, si quos adesse certi sumus, pellere contineat, non est quod addamus. Verminosum rheumatismum simul esse posse pituitosum, asseruimus quidem, neque tamen argumenteris, pituitosum esse semper cum verminoso coniunctum.

§. 13.

Notabilis quoque, satisque frequens rheumatismus est, qui sedem habet in pectore, atque sic dictam pleuritidem rheumaticam, seu notham efficit. Haec pleuritis a vera, siue sanguinea, in eo differt, quod dolor musculis intercostalibus externis et internis, insideat, atque vel sine omni dolore, vel dolore non diu durante, incipiat, sese ad praecordia, ad abdomen, ad totum saepe thoracem, atque ad interstitium interscapulare vsque extendat. In parte affecta tumor nonnunquam apparet, ac rubor. Dolores vagi, irregulares, adeo acerbissimi sunt, vt aegroti ne leuem quidem contactum ferre possint. Qui pleuritide rheumatica laborant, in latere affecto difficulter respirant, humerumque cum molestia movent. Lingua et fauces albae et mucosae sunt. Inprimis haec pleuritis a vera, leniori oppressionis sensu et respiratione minus molesta differt. Tussis mitior, sputa mucosa, glutinosa, sanguineque striata, inprimis sub morbi initio, reiciuntur. Exitus plerumque in hac felicior, quam in vera, siue sanguinea. Stoll in hominibus hoc morbo mortuis, cultroque anatomico subiectis, pulmones minus duros, quam in vera ac genuina obser-

obseruauit. Methodus medendi partim indicationibus generalioribus, ut in pleuritide vera, partim quoque propriis et peculiaribus absoluitur. Venaesectiones, quas vera pleuritis exigit, minus necessariae sunt, imprimis in febre mitiore, contra vesicatoria, loco affecto applicata, conducunt. Fracto morbi impetu, sputis tamen nondum mobilibus, atque ad euacuationem leuem praeparatis, Kermes minerale egregii usus est.

§. 14.

Rheumatismus intestinorum, siue dysenteria rheumatica, huc quoque pertinet, quae ratione causarum, ab aliis rheumatismis non differt, sed ratione formae omnino discrepantiam admittit. Aestate adula atque autumno oritur, suis stipata symptomatibus. Saepius rheumatismus artuum simul coniunctus est, aut eundem sequitur. Dysenteria subito cessat post doloris et tumoris eruptionem in artubus. Ex constitutione temporis epidemica quoque cognoscitur. Neque minus ex medendi ratione natura morbi detegitur. Nulla alia causa dysenteriae praesente, certius ad indolem dysenteriae rheumaticae concludimus. Huius varias species nobis egregie delineauit STOLZIVS, febrem, morbum concomitantem, in distinguendo, fundamenti loco, subsumens. Colica rheumatica, quae huc quoque pertinet, oritur a causis rheumatismi ad intestina delatis. Ratione symptomatum ab aliis colicis non differt, caret vero, quod per se iam patet, alui depositionibus, quae in dysenteria, et quidem cum tenesmo, adsunt. Prima indicatio ac primaria esto, ut stimulus ducatur a sede interna ad externam superficiem corporis, quod sit medicamen-

camentis leni vi diaphoretica instructis, calidis potibus, et vesicatoriis regioni abdominis impositis. Alia species rheumatismi est odontalgia serosa siue rheumatica. Haec sedem in gingivis ponit, copia feri ad vaginas neruorum deponitur, quo nerui premuntur et irritantur. Autumno et hyeme saepius oritur hic morbus, aliisque doloribus rheumaticis sese adiungit. Dignoscitur haec species ex anni tempore, autumnali et hyemali, quo dolores rheumatici nucham collum, glandulas occupant, hasque tumidas reddunt. Febris exigua quidem est, attamen cum multis doloribus coniuncta, qui supra omnem maxillam extenduntur. Contra hanc odontalgiam auctores commendant mercurii usum, sed caueas, ne facile prouocet saluationem in glandulis faucium satis iam inflammatis. Quem FOTHERGILLIVS²⁸⁾ commemorat rheumatismum faciei cum odontalgia serosa, maximam similitudinem videtur cum nostro habere, licet sede, cum varias faciei partes occupauerit, ab illa discedat. Saepius inhaeret parti, quae supra alueolos est, inferiori maxillae parit.

Quaedam adhuc species rheumatismi, quorum auctores mentionem faciunt, cum variis acrimoniis in corpore praesentibus, cum scorbuto, cum miasmate syphillitico, coniunctae, addi possent, sed harum tractationem iam relinquamus.


28) *Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzze*, 3. Bd. 1. St. S. 149 ff.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 8, 1797-1801



vd18





DE
RHEVMATISMI CAUSSIS ET CVRA,

DISSERTATIO INAUGVRALIS,

QVAM

PRAESIDE

D. SALOMONE CONSTANTINO
TITIO,

BOTAN. ET ANATOM. PROFESS. PVBL. ORD.

PRO

SVMMS IN ARTE MEDICA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

A. D. 18. MAII 1797.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEPENDET

AVCTOR

LVDVICVS IOSEPHVS SCHMIDL,
DRESDENSIS,
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTENBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

814

